

throno in generacione sua prudenciores lucis filiis nuncupantur! Iste siquidem rex a divino provisu culmine pacis amicus, karitatis patronus, iurium conditor, iusticie conservator, paciencie filius mundum perpetua ratione gubernabit. Item hic est, ut presumitur, de quo Ezechielis verba proclamant: *Aquila* ⁶⁶⁾ *grandis* <*magnarum*> *alarum longo membrorum ductu, plena plumis et varietate*. Talis igitur presidio principis protectus mundus exultet, talem denique totus orbis vocabat in dominum, talem requirebat iusticie defensorem, qui in potencia strennuus, in strennuitate ^{a)} preclarus, in claritate benignus, in benignitate sapiens, in sapiencia providus et in providencia ^{b)} foret humanus! In eo denique insita forma boni tamquam livore carens pacem ac tranquillitatem Romani imperii fidelissime procurabit. Miranda etenim divina clemencia mundo undique involuto de tam mundo principe tam consulte quam utiliter providit, quem supremi manus opificis formavit in hominem, ut rerum habenas flecteret et cuncta sub iuris ordine limitaret ^{c)} ecclesie. Nature felicitas quanti privilegii prerogativa principem ditavit felicem concedens aliis, quod defuit in se ipsa! Hunc ramus rationis antistitem, hunc ^{d)} exigebat iusticie defensorem, qui congruam servans utrobique temperiem conatus cupiditatis infringeret, ut eius motus illicitos refrenaret, cui iam virtutum incipiunt invidere misteria — ea videlicet invidie specie, que non ardore livore emulantis destruit animum, sed in suavitatis odorem flatibus incitat karitatis. Vivat igitur felicitis Friderici nomen in populo, succrescat in ipsum fervor devocionis a subditis et fidei meritum mater ipsa fidelitas in exemplum fidelitatis inflammet!

Sed ne, gloriosissime princeps, coram vestre regie maiestatis excellencia ^{e)} ac tanti cetus universitate vicio adulacionis notari videar, revertere duxi sermonem in oppositionis ^{f)} qualitatem. Nam secundum intencionem Tullii in epistola de commendacione Pompeii *quatuor* ⁶⁷⁾ sunt, que *imperator* ^{g)} *inesse oportet: scienciam* videlicet *rei militaris, virtutem, auctoritatem et felicitatem*; nec iste sufficiunt *virtutes*, sed sunt alie virtutes, que wlgō *imperatorie existimantur*, scilicet *labor in negociis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo* ^{h)} et *consilium in providendo*, et secundum has virtutes multi predecessores serenitatis sue dive memorie Imperium salubriter et pacifice gubernaverunt, prout refert Tullius loco quo supra de pluribus exempli-

^{a)} serenitate *Hs.* ^{b)} prudencia *Hs.* ^{c)} invitaret *Hs.* ^{d)} huc *Hs.*
^{e)} excellenciam *Hs.* ^{f)} opposicione *Hs.* ^{g)} imperator *Hs.* ^{h)} consiliando *Hs.*

⁶⁶⁾ *Ezech. 17, 3.*

⁶⁷⁾ *Cic., De imp. Cn. Pomp. 10 f. (§ 28 f.).*